







1734.

1. Baucrus, J. Godefridus: De quarta Trebellianica
in pacto nuptiali caude.
2. Baucrus, J. Godefridus: De eo, quod justum est
in forma hereditationis. 2 Saep. 1731 & 1756.
3. Froze Ernestus Henricus: De testibus jurisjurandi comi.
Libus.
4. Jaegerius, Cas. Matth.: De legitima probatione
casuum fortuitorum.
5. Jaegerius, Carolus Matth.: De abusu, qui circa
prestationes rusticorum plerumque occurrere
solet.
6. Drenigius, Sigismundus Kidenicus: De usu alborum
calceolarum apud veteres ad apocal. II. 17.
7. Gruber, Michael Henricus: Programmata, quae
ad orationem auspicalium invitata.
8. Gruber, Mich. Henricus; fac. jur. pro cancellariis:
De primis academiae Lipsiensis cancellariis.
Programmata, quae in inaugurationem quorundam candida-
torum (Traugott Thomaei seq.) in Dicit.

1731.

9. Krieger, Mich. Henr.: Program, quod in inauguratione
solennit. Fr. Do. Kriegerii iuritat.
10. Heringius, Carolus Tridorscus: De eo, quod iustus
est circa expositionem infantium 2. Exempl.
11. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De numero 18
septemario testium in testamentis. 2. Exempl.
1731: 2745.
12. Fricker, Godefridus Lembaedus: De successione con- 19
jugum Lipsiensium.
13. Krieger, Abraham: De aedificiorum demolitione
et constitutione scripturarum: ne luminibus officiorum
vel de non altius tollendo; simulque collegia vel
dyberna indicat. 21
14. Kriegerus, Abrahamus: De laudemio.
15. Kersten, Martinus Gollard: De fidei commissu perpetuo
famulatu in fendo. 21

1731.

16. Versteck, Martinus Godefridus: De analocismo jure
naturalis non prodest illicito.
17. Klingner, Dr. Godefridus: De probatione sterilita-
tis a colono suscipienda. Programma, quo lectio-
nes suas indicat.
18. Knecht, Dr. Georgius: De Lutharici Communionis
bonorum inter conjuges, ejusque principis
effectibus in foro
19. Koenigk, Joan. Christianus, fac. jur. porcan cellarius:
Programma, quo solennia doctoralia Dr. Georgii
Knechtii indicat
20. Koeselius, Godofredus Reinoldus: De dominio
ejusque effectibus
21. Koeselius, Godofredus Reinoldus: De traditionis
circa dominii acquisitionem effectum tam
naturali quam positivo jure: et hoc rursus
tam communi tam Saxonico.

1731.

22. Korkhaldus, Christiaan: De ecclesiis suburbicariis
riis - - -
23. Thuenhold, Fridr. Alexander: Programm, quo ad
gymnasii palensis Muncheniaci disquisitiones
nem - - - invitat
24. Ludewig, Guap. Thomas: De differentia jur.
comm. et statutarii habecuris intestato succes-
sionis et intestato consanguineorum.
25. Ludovici, Carolus Guentl.: De veris et falsis
Cognitionis humanae principis

1731, 10 6

DISSERTATIO
DE EO
QVOD IVSTVM EST
CIRCA
EXPOSITIONEM
INFANTVM

QVAM
EX ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
DECRETO
PRO OBTINENDIS
SVPREMIS IN IVRE HONORIBVS
PVBLICAE DISQVISIONI
SVBMITTIT
M. CAROLVS FRIDERICVS
HEINZIVS.

LIPSIÆ D. XV. NOVEMBRIS MDCCXXXI.

EX OFFICINA LANGENHEMII.

DISSERTATIO
DE FO
QVOD IUSTVM EST
CITATIO
EXPOSITIONEM
INFANTVM

QVAM
EX ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
DECRETO
PRO OBTINENDIS
SVPERIEMIS IN IVRE HONORIBVS
PVBLCÆ DISQVITIONI
SVMMITIT
M. CAROLVS FRIDERICVS
HEINZIVS

ALTISS. D. XV. NOVEMB. MDCCCXV.
EX OFFICINA LITVORVM



V I R O
SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSI-
MO, AMPLISSIMO ATQVE CONSVL-
TISSIMO

D O M I N O
IOHANNI FLORENTI
RIVINO,

ICTO CONSUMMATISSIMO,
REVERENDISSIMI CAPITVLI NVMBVVG.
ET WVRCENSIS CANONICO, PANDECTARVM PRO-
FESSORI PVBLICO, ILLVSTRIS FACVLTATIS
IVRIDICAE ASSESSORI,
PATRONO, PRAECEPTORI AC STUDIO-
RVN SVORVM PROMOTORI, OMNI ANIMI
DEVOTIONE DEVENERANDO,

VT ET
V I R O
EXCELLENTISSIMO, CONSVLTISSIMO
ATQVE AMPLISSIMO

D O M I N O
CAROLO FRIDERICO
ROMANO,

ICTO CELEBERRIMO,
IVDICII PROVINCIALIS MARCHIONATVS INFE-
RIORIS LVSATIAE ET ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
ASSESSORI GRAVISSIMO, PRAETORI CIVITATIS
LIPSIENSIS SPECTATISSIMO,
PATRONO, COGNATO ET STVDIORVM SVORVM
PROMOTORI,
SVBMISSA OBSERVANTIA ASSIDVE COLENDO.

HANC
INAVGVRALEM
IN PERPETVVM
OBSERVANTIAE, PIETATIS ET GRATISSIMAE
MENTIS
MONVMENTVM
CVM VOTO
FELICITATIS CONTINVAE
DEMISSA ANIMI RELIGIONE
OFFERT, DEDICAT, CONSECRAT
DEVOTISSIMVS CLIENS
CAROLVS FRIDERICVS HEINZIVS.



PROOEMIUM.



Um omnibus in rebus ita fere comparatum sit, vt incrementum inde accipere soleant, vnde originem traxerunt; Infantes, dum se ipsos alere ac educare nequeunt, eorum misericordiam et auxilium expectant, qui post Summum Creatorem illis vitam dederunt, et in causa fuerunt, vt extiterint. Naturalis vero lex, quae, vt humanitatis officia aliis exhibeamus, praecipit, ob generationem, miserrimum recens natorum statum, et *την σεργην* mortalibus inditam, parentes eo magis adstringit et commouet, vt liberis, parti priorum viscerum, *l. 22. §. vn. in fin. Cod. de Agricol. et Censit.* alimenta debita praebent, et de necessariis vitae subsidiis prospiciant. Id est, quod leges indicant: Naturalis stimulus parentes ad liberorum suorum educationem hortatur, et filium vel filiam alere patri necesse est

A

propter

propter ipsam naturam, *l. vn. §. 5. Cod. de R. V. A. et l. ult. §. 5. C. de bon. quae lib.* Hinc amor iste parentum in liberos in iure tenerrimus, arctissimum vinculum, affectio summa, paterna pietas audit, *l. 67. §. 1. ff. de Rit. Nupt. l. ult. princ. C. de Curat. fur. l. 8. §. fin. ff. quod met. causf. l. fin. §. 5. C. de bon. quae lib. l. ult. C. de al. lib. ac par.* Ut praeteream praesumptiones illas ubique in legibus obuias, quod pietas paterni nominis optimum pro liberis consilium captura sit, *l. 22. §. fin. ff. ad Leg. Jul. de Adult. coërc.* Verum enim vero in ea, proh dolor! incidimus tempora, in quibus, secundum effatum Saluatoris Optimi, caritas, quinimo ^{σοφνη}, tenerrima et arctissima illa caritatis species refrigescit, *Matth. XXIV. v. 12.* et naturalis haec obligatio a multis pili floccique habetur, vel plane negligitur. Quid enim frequentius nostris temporibus accidere solet, quam quod parentes, praecipue vero matres, omnem humanitatem exuentes, nisi ipsae manus suas sanguine recens natorum inquinent, aut per alias personas impias hos innocentes interficiendos curent, per indirectum tamen eos necent, cum eos, vel in locis periculosis, desertis, ac e conspectu hominum remotis abiiciant, vel ad minimum in miserrimo statu derelinquant, in locis peruiis et publicis aliorum misericordiae exponendo, quam ipsae non habent, *vt l. 4. ff. de agnosc. et al. lib. verbis vtar.* Et cum infantum expositio non solum ardua, sed et in foro, iudicijs ac dicasterijs haud raro obtua sit materia, de qua, et quid circa eam in Saxonia obtineat, praeter B. AVG. BENED. CARPZOVIVM in *Disp. de Infantibus Expositis*, a) nihil haecenus, vel perpauca, quantum

a) Equidem ab incepto itinere desistere, et aliud Thema eligere decreueram. cum hanc sub Praesidio CARPZOVII Lips. 1677.

quantum comperire potui, ex professo fuerunt dicta, b) Dissertationes duas: *De eo, quod iustum est circa expositionem infantum*, conscribere, et candidae Eruditorum censurae submittere animo fedet. Hac de causa in praesenti Inaugurali Disputatione hanc labori meo legem dixi, vt in I. Cap. quid leges disponant circa ipsos infantes expositos, et in II. quid circa eorum inuentores iustum sit, pertractem. Tertium vero Caput, quibus poenis afficiendi sint exponentes, in peculiari Disp. absoluerem promitto, ne hocce Schediasma sub manu creffens, Dissertationis limites excedere videatur. Faxit DEVS feliciter!

CAP.

publicatam Disputationem inter elaborandum allegatam vidissem; Ea tamen ab amico communicata ac perfecta, animum non mutauit, perspicuus, quod Pars eius Theoretica, de Synonymia, Homonymia et Etymologia vocabulorum, variisque infantum diuisionibus agens, dimidium Dissertationis fere absoluat, licet 3. saltem plagulis constet. Quod vero Partem eius Practicam attinet, de Baptismo Expositorum tribus saltem verbis mentionem facit B. Author; De statu Expositorum perpauca, eaque non accurate proponit, ac de illorum priuilegiis, quibus ceu personae miserabiles gaudent, de eorum testamentis, successione, sepultura etc. ne verbulum quidem addidit. Largam itaque messem nobis B. Author reliquit, nec me operam et oleum perdidisse credo, quod iam iam inceptam Thematism mei relam ulterius pertexerim. Interim bona fide semper indicabo, quando praeter alios Authores hanc Carpz. Disp. fecutus.

- b) Ea enim, quae Cel. GERARD. NOODTIVS in Iulio Paulo, s. Tractat. de partu expositione et nece apud veteres, eique contradicens Consult. CORNEL. van BYNKERSHOEK in Dissertatione de iure occidendi, vendendi et exponendi liberos apud veteres Romanos, erudito Orbi communicarunt, antiquis Romanorum expositionibus lucem saltem accendunt, et in his Tractatibus magni nominis hi Icti disceptant, quando, et sub quibus Imperatoribus, haec exponendi licentia restricta, imo penitus sublata fuerit.

CAP. I.

DE

EO, QVOD IVSTVM EST CIRCA
IPSOS INFANTES EXPOSITOS.

§. I.

*Definitio
Expositionis
infantum,
eiusque Ex-
plicatio.*

IN magnam vocum evolutionem hic descendere, et tam Expositionis, quam Infantum Etymologia, Homonymia et Synonymia, (quae non sine ingenti fastidio in Vestibulo Dissertationum conglomerari solent) aliquot pagellas implere, superuacaneum ac inutile esse duco, cum his in vocibus nulla lateat ambiguitas, errorum mater. a) Ne tamen illotis, ut aiunt, manibus hoc Thema protinus pertractem, quid sit *Expositio infantum* b) ante omnia explicare operae pretium erit. Est nempe actus illegitimus, quo parentes, vel aliae personae, iussu parentum, ad euitandam alendi necessitatem, aut existimationis maculam, recens natos

eo

- a) Qui operosam Rubri huius, propria luce radiantis, enotationem legere cupit, adeat cit. CARPZOVII disp. in Parte Theoretica.
- b) Dum de expositione infantum mihi sermo est, monstra ac prodigia merito excludo, quippe quae non sunt liberi, *l. 14. ff. de stat. hom. l. penult. C. de posthum. hered. instit.* E contrario cum *alleg. leg. 14.* ostenta in specie sic dicta comprehendo, quando scilicet natura in partibus quibusdam aberravit, ex gr. numerum membrorum vel ampliando, vel imminuendo. *l. 38. ff. de V. S.* Nec enim eiusmodi augmentum vel defectus essentialem hominis formam mutat. Vid. hac de re vberius GOED-DEVS ad dict. *l. 38. ff. de V. S. n. p. et 16.* An vero parentibus permissum sit, partum monstruosi abiicere? It. An illi mitius puniendi, qui ostentum in specie sic dictum exposuerunt? non hoc loco, sed in altera Disp. de hac materia, perpendendi occasionem nanciscar.

eo animo abiiciunt, vt infantes vel pereant, vel ab aliis inueniantur et educantur. Iure meritoque eam actum illegitimum nomino, quia contra leges committitur, praecipue vero contra leges diuinas naturales, secundum quas e) parentes obligati sunt ad alendos et educandos liberos: Dum vero progeniem a se procreatam abiiciunt, et in summa miseria derelinquunt, alimenta debita illi non solum denegant, sed et periculo, imo quandoque certissimae morti eam exponunt. Nec multum refert, vtrum ipsi parentes hoc facinus perpetrauerint, an vero criminis infelices socios habuerint, iisque expositionem mandauerint: Quod enim quis per alium facit, perinde est, ac si ipse fecisset, d) et mandator caedis pro homicida habetur, e) Quemadmodum vero hanc crudelitatem eiusmodi parentes, plus quam corvino animo praediti, potissimum erga sanguinolentos f) et in tenerima aetate constitutos exercere solent, idque ob rationes in definitione allegatas, scilicet, vt se oneri alendi et educandi subtrahant, vel, ne in ore hominum versentur, maleque audiant; Ita ex vltimis definitionis nostrae verbis apparet, quod consideratis circumstantiis loci, temporis, modo expositionis, et exin elucente animo exponentium, haec abiectio g) in periculosam

et

- e) vti illud in Prooemio deduxi.
 d) c. 72. de R. l. in 6.
 e) l. 14. §. vn. ff. ad leg. Corn. de Sicar.
 f) Sic liberi recens nati, et adhuc ab viro matris rubentes nominabantur, quos Constantinus Magnus ob periculum Expositionis patri, in summa egestate constituto, vendere permittebat, per l. 2. Cod. de patr. qui fil. suos distrax. de qua re vberius in §. 6. hui. cap. mentionem feci; Videatur interim HVBERS in Digress. l. 2. c. 5.
 g) Ddres nonnulli, inter quos etiam est CUIACIVS in Comment.

et minus periculofam feſe diſperſcat, quae Diuiſio ingen-
tem ſuam vtilitatem quoad irrogandas poenas demon-
ſtrabit.

Origo huius
Expoſitionis.

Conſiderata ipſa definitione, vel tribus ſaltem verbis
in ipſam facti huius, a naturali lege tam alieni, origi-
nem; et quid hominibus, ad illud facinus perpetrandum,
primam ſuppeditauerit occaſionem, inquirere neceſſe
duco. Praeter Semiramidis abiectiorem, antiquiſſimum
filii expoſiti exemplum in Moyſe reperio, a) qui priſcis
fabularum architectis ad commenta ſua confarcinanda
de Bacchi expoſitione et educatione anſam dedit. b)
Ac quemadmodum Gentiles omnem mouebant lapidem,
quo facta imitarentur illa, quae Deos habebant Au-
thores;

ad tit. Cod. de Inf. Expoſ. CARANZA de partu naturali et legi-
timo c. 4. n. 5. diſtinctionem hic faciunt inter expoſitos, abiectos
et eiectos, ſ. pro derelicto habitos. Infantes recens nati, et
a parentibus in locis publicis, ad aliorum excitandam miſeri-
cordiam, relictis, ab illis expoſiti dicuntur; Abiecti contra ſunt,
ſi horum expoſitio in loco a conſpectu hominum remoto ac
deſerto facta fuerit: Grandiores vero eiecti vel pro derelicto
habiti ſunt. Priores a Graecis *ειδετοι*, hi vero *απογεννητοι* no-
minabantur. Ad probandam ſuam ſententiam prouocant ad
leg. 4. ff. de agn. et al. lib. 1. ult. ff. pro derel. l. 2. ff. qui ſu. ma-
num. ad lib. per. l. 36. ff. de ſtip. ſeru. Sed quod expoſitio et
abiectio ſaepe pro Synonymis habeantur, earumque diſtinctio
non ſemper accurate attendatur, docent l. 2. 3. et ult. Cod. de
Inf. Expoſ. et Nou. 153. cap. vii.

- a) Exod. 2. v. 3. Niſi quis prouocare velit ad exemplum Iſmaelis,
Abrahami ex Hagar filii, Genef. 21. v. 14. ſequi, quod tamen
ob matris ſimul expulſionem et perpetuam praefentiam pro
vero tali, meo quidem iudicio, haberi nequit.
- b) Vt erudite demonſtrat BOCHARTVS in ſuo Chanaam,
adducens VOSSIVM de Idololatr. l. 1. c. 30. POMEY in
Panth. Myth. p. 58.

thores ; Hi vero liberos suos in terram ponere credebantur , vt Nymphae eos fusciperent atque alerent c) : Ita coeci homines paradigma Deorum secuti , suos recens natos certo loco in terram e vestigio post natiuitatem deponerent , quos recipiendi , ex praescripto et voluntate parentum , certis formulis , certae personae constitutae erant d) . Hunc itaque ritum , qui summa semper celebrabatur religione , ob sacram Deae , quam Opem vocabant , praesentiam , licitae infantum expositioni dedisse occasionem , ad veritatem quam maxime accedit . Dum enim vix in lucem editos in terram ponere opus erat , quo a certis iterum personis reciperentur , illi , qui liberos suos alere nolebant , sub ritus huius specie , susceptionis et alimentorum curam illis , quos misericordia tangebatur , facillimo modo relinquere poterant . Et hinc factum iudico , ipsam expositionem in Romanorum iure permissam fuisse . Quinimo primus iam iam eorum Rex Romulus , immemor istius miserrimi status , in quo abiectus alienam efflagitabat opem , hanc liberose exponendi licentiam per legem quandam introduxit : Cum enim parentibus necessitatem imposuisset educandi quicquid esset masculinum , et ex sexu sequiore , filias primogenitas ; Illis e contrario in eadem lege permisit , quinimo praecipit , vt non solum partum monstruosum , mutilum aut prodigiosum abiicere et necare , verum etiam reliquos foetus foeminei sexus exponere possent , id si prius proximioribus quinque vicinis indicassent , et hi abiectio-

nem

c) Variis testimoniis hoc illustrat IOH. GEORG. MVLLER in Disp. Philos. de praescorum ritu tollendi liberos §. 12.

d) MVLLER. *loc. cit.* §. 9. et 17. huius ritus causas pariter ac significationes ex mente Gentilium solide deducit.

nem quoque approbassent. e) Quod vero et hae legis restrictiones quoad educationem masculorum et foemellarum primigenitarum sensim exoleuerint, et parentes hoc suo iure magis magisque abusi fuerint, ita, vt sub Imperatoribus priorum seculorum nihil hac expositione frequentius fuerit, vestigia passim apud Scriptores extant. f) Quod denique Maiores nostros attinet, de hoc crimine altum apud eos est silentium. Comprobant illud eorum leges, quae etsi totae in puniendis delictis occupatae sint, nihil tamen de expositione statuunt, vnde necessario sequitur, vitium illud in hae sancta et bonis exemplis diuite gente plane fuisse ignotum; g) Nisi illud demum cum iure Romano paulatim introductum sit, vtpote quod infinitum aliorum vitiorum et naeuorum numerum secum traxit.

§. III.

Infans expositus in dubio baptizandus est, et quidem categorice, non hyperbetic.

His praemissis propius ad ipsos infantes expositos accedo, et quid circa eorum baptismum, statum, famam, priuilegia, successiones, testamenta et sepulturam iustum sit, paulo accuratius perlustrabo. Inueniuntur vero vel viui, vel mortui; De illis primo loco, et quidem de eorum baptismo dicendum erit. Magni enim momenti quaestio hic suboritur, quid iuris sit in eo casu;

- e) Haec nos docet egregius ille Romanarum Antiquitatum Scriptor, DIONYSIVS HALICARNASSENSIS *libr. 2. c. 2.*
 f) Conf. Cl. HEINECC. in *Antiquit. Rom. l. 1. tit. 9. §. 5. lit. b.*
 g) Vnicum, sed graue et ingenium hac de veritate testimonium in medium profero, quod CORNEL. TACITVS inter alia encomia de pietate Germanorum reddere non dubitat: *Numerum liberorum finire, inquit, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur; Plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges. in libello, de morib. German. cap. 19.*

vbi de baptifmate abieci infantis non conftat? An eius-
 modi fublatus pro baptizato habendus, an vero in dubio
 baptizandus fit? Pofterior placet fententia, tum ob fum-
 mam baptifmi neceffitatem, a) tum quia nemo bapti-
 zatus praefumitur, fed probari hoc debet, vti MA-
 SCARDVS, GOTHOFREDVS, alique Ddres
 docent. b) Obftare quidem videtur metus Anabaptifmi,
 qui crimen ingens, et contra institutionem Chrifti eft. c)
 Fieri autem potest, vt infans, de cuius baptifmate du-
 bitamus, re vera iam hac aqua lultrali perfufus fit,
 et cum denuo talem expositum baptizemus, prorfus
 nihil abeft, quin in idem crimen incidamus. Verum
 enim vero firmo adhuc talo ftat nofta fententia. Ob-
 verfantur nobis hic duae regulae, quarum vna altera
 praefantior. Primaria regula huius eft tenoris: Omnis,
 qui coelorum regnum introire cupit, baptizandus eft;
 Huic cedit illa, feu fecundaria: Baptifmus femel collatus
 non eft iterandus. Dein Anabaptifmus faltem ab illis
 committitur, qui fcienter, temere ac dolofe alios re-
 baptizant, hi odium merentur, hi poenas legibus fan-
 ctas merito pendunt. At in cafu noftro alia eft rerum
 facies, verfamur in dubio, et collati prioris baptifmi
 nullam

a) *Iob. 3. v. 5. Marc. 16. v. 16. Epift. Pauli ad Tit. c. 3. v. 5.*

b) MASCARDVS de Probation. *Vol. II. Concl. 363. n. 6. GO-*
 THOFREDVS ad *l. i. Cod. Ne sanct. bapt. iter.*

c) *Sic. c. 108. de Consecrat. Dist. 4. Anabaptifmum scelus immaniffi-*
mum appellat; Apoftatae et reiterantes baptifma in vna eadem-
que claffe ponuntur, per tit. X. de Apoft. et reit. bapt. hinc vt
alii haeretici Excommunicationis mucrone percutiuntur, per
c. 49. X. de Sent. Excommun. iung. §. 14. tit. 3. l. 2. Inft. Lancell.
Quinimo grauibus fatis poenis leges ciuiles Anabaptifinum,
tum in baptizante, tum in baptizato, vindicarunt, vt conftat
ex tot. tit. Cod. Theodof. et repetit. Praelect. Ne sanct. bapt. iter.

nullam habemus notitiam; Hinc *in crimen iterationis venire nequit, quod omnino factum esse nos latet*, uti Papa Leo I. decidit. d) Baptizandus vero est talis expositus pure et categorice, non sub conditione. In diuersas hinc a nobis abeunt partes Pontificii, qui in his et similibus casibus dubiis baptismum hypotheticum iniungunt, hoc modo: *Si baptizatus es, ego te non baptizo; Sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti*, secundum expressam Alexandri III. dispositionem. e) Tantum vero abest, ut haec conditio ad efficaciam Sacramenti f) aliquid faciat, ut potius scrupulos et dubitationes perpetuas de vi ac energia huius baptismi gignat, tam in eo, qui administrat, quam qui sub conditione hoc Sacramentum percipit. g) Quae ratione commotus, Serenissimus Legislator Saxo in Constitutione Ecclesiastica h) Pontificiorum baptismum hypotheticum reiecit, et absolutum in casibus dubiis aequae ut alias his verbis praecipit: *Sonderlich aber sollen die Pfarrer und Kirchen-Diener nicht auf einen Zweifel tauffen* &c. &c. §. IV.

d) in cap. 12. et 13. de consecr. Dist. 4.

e) in cap. 2. X. de baptisn.

f) Id quod Theologi nostrates multis et ponderosis demonstrarunt argumentis, ad quorum Systemata prouoco, ne falcem in alienam inuensem immittam.

g) Conf. LYNCKER. in disp. de Baptismo cap. 1. §. 7. et c. 3. §. ult. ubi inter alios Theologos celeberrimos ad B. Lutheri Bedenken vom Zindel-Kindern in Tom. 8. Germ. Iencnf. fol. 51. prouocat.

h) Constit. Saxon. Ecclesiast. art. gen. 6. in Tom. 1. Cod. Aug. p. 671. Eodem fere modo Sereniss. Elector Brandenburgicus in Ord. Eccles. Magdeb. c. 3. §. 19. in princ. edicit his verbis: *Wenn bey Zindel-Kindern man keine Gewissheit hat, ob sie getaufft seyn, oder nicht, sollen die Prediger die unbekante Tauffe vor ungethan achten, und daher mit der Tauffe ohne Anfrage verfahren.*

§. IV. *in toto certis suppositis*

Nec minorem dubitandi ansam suppeditat casus, quando recens natus infans inuenitur, cuius inuolucris adiecta est schedula, testimonium praebens de baptismo iam peracto: An infans nihilominus baptizandus, an vero fides huic schedulae habenda sit? Et distincte procedere debemus in eligenda sententia: Si enim per schedulam certiores reddimur facti, quo scilicet in loco, quo tempore, et a qua persona huic abiecto baptismus collatus fuerit, ac post exactam et accuratam inuestigationem in rei veritatem, omnes ac singulae circumstantiae conueniunt, ita, vt nullum dubium super sit de baptismo rite peracto, tunc tali schedulae tuto fides adhibenda, nec infans denuo baptizandus. Ast si in hac plagula in genere saltem dictum fuerit, infantem esse baptizatum, neque circumstantiae veritatem asserti deducentes adsint, vel hae in medium prolatae non conspirent, tunc fidem talis pagella non meretur, sed in re tam ardua expositus ita reperitus sacrosancto Regenerationis lauacro abluendus erit. a)

Id quod etiam defendere non dubito ratione testimonii ipsius matris, asserentis, se partum ante expositionem baptizasse. Praeter enim iam commemoratam rationem, quod haec attestatio absque omnibus necessariis circumstantiis, et an forma actus, seu substantialia baptismi, rite obseruata fuerint, constet, ideo

Fides ideo non est habenda schedulae, infanti appositae, de baptismo testanti; nisi circumstantiae singulae asserti veritatem comprobent.

Nec testimonium matris iuratum admitto, baptismum abiectae proliis absque circumstantiis asserentis.

a) Conf. STRYCK, ad Brunnem. Ius Eccles. l. 2. c. 1. membr. 2. §. 7. Hoc etiam Sereniss. Elector Brandenb. loc. cit. disponit, verbis sequentibus: Im Fall aber in etwann beygelegten Zetteln ein gewisser Orth, wo die Tauffe geschehen seyn solle, enthalten wäre, soll daselbst vorhero nachgefraget werden, und da sich in der Nachfrage keine Gewißheit findet, die Tauffe erfolgen.

ideoque ex hoc solum capite pro nulla habenda sit; b) Argumenta alia adhuc satis ponderosa ad corroborandam hanc meam sententiam in medium proferam. Quem quaeso fugit, causam, numerum testium, eorum qualitatem et dicta in omni testimonii dictione accurate atque perspete esse pensitanda: c) Ast quoquo me in hoc casu conuertam, nihil reperio, quod infirmo et fragili matris testimonio subuenire et robur addere possit. Magni enim momenti et ardua est causa, quae hoc loco se nobis sistit, quippe quae infantis salutem aeternam concernit. Si numerum testium inquirō, nullus adest praeter vnicam foeminam, quae tamen parum vel nihil probat, secundum tritum illud Iuris Axioma: Vnus testis, nullus testis. d) Si porro qualitatem huius testis examino, persona leuis notae, sublestae fidei et crimine adulterii, fornicationis et expositionis contaminata existit. Nunc vero expediti iuris est, quod ob vitae turpitudinem, criminis accusati, vel in vincula publica coniecti, e) quadrantariae Clytemnestrae et mulieres, quaestum corpore facientes, f) quinimo omnes infamia iuris laborantes, g) a testimonio merito repellantur; Ideoque coniectura alicui non possum, cur foemina ista scelerata ac infamis, meliori fortuna gaudere debeat? Cum denique multi non infimi subsellii Theologi pariter ac Icti, quin-

b) Conf. l. 4. Cod. de testib. WERNHER. *sel. obs. for.* P. 5. Obs. 65.

c) Pronoco ad tit. ff. et Cod. de testib.

d) l. 9. Cod. de testib. c. 23. in fin. et c. 47. X. cod. CARPZOV. libr. 3. R. 94. n. 1. sequ.

e) l. 20. et l. 3. §. 5. ff. de testib.

f) per dist. l. 3. §. 5.

g) Cap. 13. et 54. X. de testib. Rec. Imp. de Ann. 1512. §. 2. et de Ann. 1526. §. 6. CARPZOV. P. I. C. 16. D. 71.

quinimo tota Illustria Dicaſteria, h) in eam abeant ſententiam, quod nec ſoli matri, honeſtae perſonae, credendum ſit, ſi in caſu neceſſitatis, remotis arbitris, infantem baptizauerit; multo minus impiae et flagitioſae huius mulieris atteſtatio ſufficiet, ſed partus abiectus ſacro baptiſmatis fonte abluendus eſt. Equidem argumenta Diſſentientium, et quibus pigmentis ſuam in-cruſtant ſententiam, me non latent. Nam fundamenta, ad quae omnes eorum rationes reduci queunt, huc redeunt: Omni modo, inquit, vitandus eſt Anabaptiſmus. Dein perſona, quae teſtimonium perhibet, mater eſt, hinc nulla praefumtio, quod adeo impie cum prole ſua actura ſit, vt eius ſalutem aeternam petulanter negligat; Praecipue cum illa nullum damnum vel lucrum exin percipiat, ſue neget, ſue aſſerat, baptiſmum expoſiti eſſe factum. Accedit denique iuriſiurandi religio, qua atteſtatio.

*Argumenta
Diſſentien-
tium.*

Fundam. I.

Fundam. II.

Fundam. III.

Fundam. IV.

h) Tria praeterierunt Luſtra, et quod excurrit, cum haec quaefſtio valde diſceptata fuerit. Summ. Reuerend. Facultas Theologica Lipſienſis tunc ſtatuebat, teſtimonium matris, ceu honeſtae foeminae, omnem mereri fidem; quam opinionem etiam TITIVS defendit in der Probe des teutſchen geiſtlichen Rechts cap. von der Tauffe §. u. Aſt Illuſtres Scabini Lipſienſes, et cum illis Facultas Theologica et Iuridica Vitembergenſis ſententiae contrariae merito fauerunt, quod in re tam ardua priuatum hoc matris teſtimonium non valeat, ſed potius certiffimae veritatis ergo infans baptizandus ſit. WERNHER in ſel. Obſeru. P. III. Obſ. 55. et in princip. iur. Eccleſ. Proteſt. c. 5. §. 23. LYNCKER de baptiſmo c. 4. §. 13. qui inter alios magni nominis Theologos in primis ad BALDWINVM in caſ. conſcient. l. 2. c. u. caſ. 7. prouocat. Profecto qui vtriuſque partis rationes aequa animi lance penſitat, facile perſpiciet, quae argumenta plus habent ponderis. Hinc nec incongrue a maiori ad minus argumentari mihi licebit, quod multo minus perſonae ſubleſtae fidei teſtimonio ſtandum ſit, quale in praefentiarum eſt matris, prolem ſuam exponentis.

*Refutatio
Argument.
Dissentient.*

stationem suam confirmat. At enim vero, argumenta haec lubrico et arenoso fundamento niti, quibus sanae mentis, nec praeiudiciis occaecatus facile perspicit. Quod enim primum attinet, corrui ex his, quae in §. *anteced.* 3. dicta sunt, scilicet quod Anabaptismus ab iis tantum committatur, qui temere ac dolose hoc Sacramentum iterant; Ast in casu, quo versamur, certa scientia et circumstantia, quae de veritate asserti nos convincere possunt, deficiunt, quinimo luculentis praesumptionibus contrarium nobis persuadent, ergo crimen Anabaptismi hoc loco cessat. Alterum argumentum de pietate materna defunctum ridiculum et stramineum existit, ac potius pro me, quam pro aduersariorum opinione pugnat: Effectus satis de sua causa testatur, et inhumana ista mater per detestabilem partus sui abiectioem impietatem suam manifeste demonstravit. Nec indistincte asserere possum, huius farinae foeminam nullum commodum vel damnum ex testimonio suo expectare. Quemadmodum enim omnes bene ordinatae leges Ecclesiasticae, ita sigillatim Saxonicae, i) parentibus sub certis poenis iniungunt, ut liberos sibi natos absque mora baptismo offerant, neque id ultra biduum vel triduum differant. Hoc dissoluta ista mater perpendens, ne delictum suum aggrauet, et poenam, tot sceleribus dignam, exasperet, se ante abiectioem infantem baptizasse constitetur. Ut

iudici

i) Poena in legibus Ecclesiasticis Saxonis constituta non solum unius vel dimidia Sexagenae solutionem concernit, germanice idiomate die Straffe eines, oder auch halben guten Schockes, sed etiam ratione circumstantiarum augeri, vel in aliam conuerti potest, ex. gr. in carcerem; vti hoc expressis verbis disponit *Decret. Synod. Gener. de Ann. 1624. §. 60. sollen auch P. 788. et Revis. §. 22. P. 1. Cod. Aug. p. 829.*

iudici praeterea glaucoma faciat, et attestationi suae fucum illinat, ex leuitate, qua praedita est, iuramentum et execrationes addit. An ideo testimonium huius Medeae de baptismo prolis abiectae omnem meretur fidem? Minime gentium. In luce potius conuiuere illum oportet, qui consideratis his circumstantiis illud adhuc serio defendere velit.

§. V.

Ad statum expositorum ciuilem nunc progredior, et quid leges circa eorum libertatem disponant, videndum. Ante omnia tempora probe sunt discernenda, ac priusquam ad hodiernam expositorum conditionem pleno me conferam gradu, quae rerum facies apud Romanos fuerit iure antiquissimo et sub Imperatoribus Ethnicis, quae postea sub Constantino Magno ac sequentibus Imperatoribus Christianis, et denique quomodo Iustinianus scenam rursus mutauerit, paucis indicare necesse erit. Certum atque persuasum habeo, quod in primis Romanae Reipublicae temporibus, quinimo adhuc sub Imperatoribus Ethnicis, insignis fuerit differentia inter seruorum et liberarum personarum expositionem. De seruis enim recens natis, et a Domino scienter abiectis, a) constat, eorum dominum ius suum dominicae potestatis per hanc expositionem amittere, eique tacite renunciare. Educator e contrario hoc ius arripere, ac omni modo exercere non dubitabat, cum expositus eius nunc fieret seruus. Aliter vero se res habebat

*Expositorum
status ciu-
lis, et quid
leges circa
eorum liber-
tatem dispo-
nant.*

a) Si enim inuito ac ignorante domino seruus recens natus expositus esset, eum dominus, ceu rem suam, vindicare poterat, restitutus educatori impensis, nisi fur aut raptor esset, l. i. Cod. de Infant. expos.

bebat cum personis liberis, nec paterfamilias per pro-
 lis suae expositionem ius suum patriae potestatis ideo
 amittebat, sed alumnus hunc pro suo agnoscens, solu-
 tis educatori alimentis, omni tempore repetere ac reci-
 pere poterat. Hac de causa is, qui eiusmodi abiectum
 sustulerat, illique necessaria alimenta hucusque prae-
 buerat, nullum dominium in eum consequeretur, sed
 nuda tantum detentio depositi huius miserabilis illi com-
 petebat, et alumnus interea ceu filium suum educa-
 bat. b) Huius asserti veritatem Imperator Gordianus
 corroborat, verbis sequentibus: *Ingenuam natam, neque
 nutrimentorum sumtus, neque seruitutis obsequium faciunt
 ancillam, neque manumisso libertinam.* c) Album postea
 calculum adiecerunt Imp. Diocletianus et Maximia-
 nus, d) edicentes, patrem in filiam expositam adhuc
 ius patriae potestatis habere, ita, ut haec absque eius
 consensu connubia inire non possit; Quinimo, si pater
 renitatur, nec nuptias cum educatori filio comprobet,
 (habeat, quascunque velit, rationes commouentes,)
 legibus tamen cogi nequit, sed hoc in casu, dum suam
 repetit filiam, alimentorum solutioni parere debet, i. e.
 sumtus pro alimentis alumnae praestitis educatori resti-
 tuit. Quod vero Educator non dominium quoddam in
 alumnam habuerit, sed eam duntaxat pari cura, labore
 et sumptibus ceu filiam ad aetatem nubilem eduxerit,
 patet primo exin, quia expositam filio suo in matrimo-
 nium dare desiderabat. Nunc vero nemo facile credit,
 educatorem filio suo destinasse uxorem vltimae fortis,
 ancil-

b) Conf. CARANZA de part. nat. et legit. c. 4. n. 38.

c) in l. 2. Cod. de ingen. manumiss.

d) l. 16. Cod. de Nupt.

ancillam, vt eam in matrimonium duceret; Hoc sane contra Romanorum grauitatem, et res sine exemplo fuisset. e) Dein nec aliae adhuc leges defunt, quae factis superque euincunt, alumnos omni libertatis iure gaufos fuiffe. f) Ast primus Christiani nominis Imperator, Constantinus Magnus, insignem hfc mutationem fecit, et explofa distinctione inter expositos seruos et liberos homines constituit, g) vt expositus qualiscun- que,

e) iung. l. 3. et 7. Cod. de Incest. nupt.

f) Euolui ideo merentur l. i. C. de pact. conu. l. 34. §. i. ff. de usu et vsufr. leg. l. 10 C. Commun. de Success. Et praeter has leges pro corroboranda hac mea sententia adductas, prouoco ad Scriptores istius aevi, ceu locupletes veritatis testes. Sic Seneca in libr. 9. contr. 3. demonstrat, quod pater expositum agnoscens, solutis alimentis, eum recipere queat. Idem in libr. 4. contr. 26. pactum quoddam educatoris cum patre exponente initum in medium profert, quo parens educatori vnum de duobus alimentis relinqueret, alterum vero repeteret, iung. etiam libr. 5. contr. 33. Porro apud Quintilianum in Declam. 278. educator patri, filium suum repetenti, intrepide respondet: *Recipere illum, nisi solutis alimentis, non potuisti.* Conf. verb. fin. hui. Declam. it. Decl. 358. et 376. vbi educator prorsus pater audit. Scrupulum quidem mouere potest supplicatio Plinii iunioris Proconsulis, (vel accuratius loquendo, Praeaeoris consulari potestate) in Bithynia ad Traianum Imp. directa, huiusque Rescriptum, in libr. 10. ep. 71. et 72. Plinius loc. cit. iudicium Imp. quaerit de eorum conditione, qui liberi nati, expositi, deinde a quibusdam sublati, et in seruitute educati fuerant, quos *Serui*; vocabant, an scil. liberi, an vero serui essent? Traianus rescribit, quod libertatis vindicatio eiusmodi personis non deneganda, nec ea pretio alimentorum redimenda sit. Attamen res est adhuc in vado, et ex supplicatione aequae ac Rescripto Imperatorio elucescit, quod haec dispositio ad Bithyniam saltem pertinuerit. Hoc etiam fufius demonstrant, GONZALEZ ad cap. vn. X. de inf. languid. expos. CARANZA de partu cap. 4. et ALEX. CHASSANAEVS in Paratit. ad h. cap. vn. X. p. m. 345.

g) in l. i. Cod. Theod. de Inf. Expos.

C

que, nullo adhibito respectu conditionis, dominio eius cedere debeat, qui ei alimenta praebuisset, eumque sustulisset, adeo, ut pater, per hanc voluntariam abiectionem, ius suum patriae potestatis plane amitteret, nec expositum a seruitute eximere posset. Quam Sanctionem postea subsequentes Impp. Theodosius et Honorius denuo confirmarunt, h) addita saltem hac limitatione: *Si modo testes Episcopalis subscriptio subscecuta fuerit, de qua nulla penitus ad securitatem possit esse cunctatio*, i. e. modo de hac re contestatio adhibita sit, Episcopo et Clericis subscribentibus, ut hoc explicat *can. 9. c. 1. Concilii Vafensis II. i)* et *c. 32. Concilii Arelatensis II. k)* Inficias quidem ire non possum, constitutionem hanc duram admodum videri, quippe quam primo intuitu pro Draconis potius, quam Christiani Imperatoris lege agnoscerem. At enim vero, si Legislatoris intentionem, sceleris atrocitatem, et deprauatos parentum mores indies increbrescentes accuratius perpendo, saluberrima et maxime necessaria erat haec dispositio. Prudentissimus enim hic Imp. omnibus viribus eo allaborabat, ut hoc

h) *l. 2. Cod. Theod. cod.*

i) Verba istius Concilii, quod Ann. 442. sub Leone I. Papa, temporibus Theodosii Iunioris, habitum fuit, quatenus huc spectant, sequentis sunt tenoris: *Id observandum visum est, ut, secundum statuta fidelissimorum piissimorumque Augustorum et principum, quisquis expositum conligit, Ecclesiam contestetur, contestationem conligat, nihilominus de Altario Dominico die minister annunciet, ut Ecclesia sciat, expositum esse conlectum, ut intra dies 10. ab expositionis die expositum recipiat, si quis probauerit, se agnouisse: Conlector pro ipsorum 10. dierum misericordia, pro ut maluerit, aut praesens retribuat, aut in perpetuum cum Dei gratia, si voluerit, possideat.*

k) *In can. ult. Dist. 87. verba istius Concilii, quae huc pertinent, inuenire licet.*

hoc expositionis cacoëthes, nisi in totum tolleret, valde tamen odiosum et detestabile parentibus redderet. Cum vero repentina mutatione nihil difficilius, et scelus, quod altissimas iam iam radices egerat, vno quasi impetu eradicare impossibile esset, vlcus alio modo Imp. tetigit, quo in posterum infelices fortunae suae fabri compedes, quas fecerant, gestarent. Etenim perosum et abiectum semper nomen serui apud Romanos erat; E contrario titulum ciuis Romani et generis nobilitatem illi adeo magni faciebant, vt ignominia liberi generis esset, in eo seruum habere. 1) Ademit ergo Legislatoꝛ noster *in alleg. l. i. C.* parentibus ius, antea competens, liberos ex seruitute eximendi, et tales expositos pleno iure educatoribus addixit, vt eiusmodi nunc seruus contumelia ac poena esset parentibus et consanguineis, qui eum in hanc miserrimam conditionem impie detruserant. Ne vero Patresfamilias paupertate, duro necessitatis telo, impulsī, ad expositionem confugerent, et liberis, reluctantē licet animo, seruile iugum imponerent, quinimo metu instantis perpetuae seruitutis eos plane necarent; Idem Imp. Constantinus parentibus summa inopia conflitantibus, misericordia potius, quam odio dignis, permisit, vt sanguinolentos vendere possint. m) Per quam quidem venditionem liberi in emtoris seruitute erant, sed spe, in pristinam perueniendi ingenuitatem niti poterant, modo eorum dominus iustum pretium, vel aliud mancipium accepisset. Verum enim vero lu-

stinia-

1) per l. i. ff. de liber. caus.

m) scil. in l. 2. Cod. de patr. qui fil. suos distrax. cum alias a Diocletiano et Maximiano ius liberos vendendi, dono dandi vel oppignorandi parentibus vetitum esset, l. i. Cod. eod.

stinianus Imp. rigorem legum, ratione seruitutis expofitorum, in totum fustulit, Refcriptum Traiani maiorem in modum extendit, ac per expreffas leges conftituit, n) vt expofiti cuiuscunque conditionis, *fiue ab ingenuis genitoribus procreati, fiue a libertina progenie, fiue feruili conditione maculati fint*, o) nihilominus tamen omni libertatis iure gauderent, ita, vt ne educatores quidem ius vllum, vti antea, praetendere poffent. Nec Imperatori nostro grauiffimae defuere rationes, quibus permotus haec Refcripta emifit: Etenim hic princeps, iuftitia et clementia fuum ftabiliens imperium, exacte ponderabat, quod fancies Antecessorum fuorum innocentes liberos potius, quam fccleratos eorum exponentes premerent. Nunc vero cum iuftitia, fuum cuique tribuente, magnopere pugnabat, fi infantes, criminis infontes, pro parentum peccatis plefterentur, p) cum tamen noxa caput fequi, et peccata fuos auctores tenere debeant. q) Inhumanum praeterea effer, afflicto vltiorem afflictionem addere. r) Infans enim, dum a parentibus derelictus aliorum mifericordiam et auxilium expeetat, quo maxime indiget, in miferissimo iam iam ftatu exiftit; Summum ideoque nefas effer, malum malo cumulare, eum adhuc in feruitutem detrudendo. Per educationem infuper ftatus hominis non mutabatur,

n) l. 24. C. de Epifcop. Aud. l. penult. et vltim. C. de inf. expof. et Nou. 153.

o) Vti Imperatoris verba in leg. cit. 24. C. de Epifc. aud. et in l. penult. C. de inf. expof. fonant.

p) l. 20. et 26. ff. de poen. l. 33. §. 1. Cod. de inoff. testam. l. 55. §. 1. ff. de ftatcom. libert. et cap. 22. d. R. I. in 6.

q) fec. §. 5. Inft. de noxal. act. et l. 22. Cod. de poen.

r) arg. l. 14. ff. de offic. Praefid.

tur, vt ex libere nato seruus fieret. s) Quinimo licet etiam infans expositus homo seruilis conditionis esset, per hanc tamen expositionem liber fiebat, tam intuitu exponentis, quia suum quis dicere non poterat, quem pereuntem contemnebat; t) quam intuitu educatoris, quia hoc pietatis officium non debebat esse venale, seu vti Imp. loquitur, u) ne quasi mercimonio contracto pietatis officium gessisse videretur. Accedit denique, quod Reipublicae expediret, viris honestis abundare, nec multos in ciuitate conspici seruos ac vltimae classis homines. Caeterum ingenue largior, melius Imp. nostrum expositis aequae ac educatoribus prospexisse, si his pretium iustum, vel aliud redhostimentum pro labore et sumtibus in alumnum erogatis concessisset, ne alias steruus pro suo solatio haberent, x) vt probe etiam monet Amplif. van BYNKERSHOEK. y) Hisce tamen Imperatoriis vestigiis insistere placuit Papae Gregorio IX. ideoque expressè inter alia edixit, z) seruos per expositionem in libertatem eripi, nullo educatori iure relicto. Quod hodiernum denique expositorum

s) per §. 1. *Inst. de cap. demin.*

t) l. 2. *Cod. de Inf. expos.*

u) l. 3. *Cod. ead.*

x) secund. l. 7. *Cod. de curs. publ.*

y) in tract. de iure occidendi, vendendi et exponendi liberos apud veteres Romanos cap. 9. in fin. Non tamen cum Celeberr. hoc Icto ideo asserere velim, hanc constitutionem omni aequitatis specie destitutam, et Iustinianum in expositos infantulos erudeliorem, quam benigniorem fuisse. Ex rationibus enim iam in medium prolatis satis superque contrarium elucescit. Si vero Imp. in condenda hac lege humani aliquid passus fuerit, ob eius laudabilem intentionem, legis fundamenta, et seculum, in quo vixit, iustam facile excusationem meretur.

z) cap. vii. X. de Inf. et languid. expos.

torum statum attinet, nemo forsitan dubitabit, quin eiusmodi infantes liberae sint personae, licet etiam ab ancilla quadam ortum trahant. Dura enim Romanae seruitutis conditio apud nos non viget, et famuli nostri mercenarii a seruis antiquis Latii aa) toto coelo differunt, quippe qui iure acquirendi, de re sua disponendi, libertate etc. aequae ac eorum domini fruuntur.

§. VI.

*Liberi per
expositionem
exiunt ex po-
testate pa-
triae, sui que
iuris sunt.*

Non vero solum expositi infantes ab omni seruitute et potestate dominica liberi sunt, sed etiam per expositionem e potestate patriae exeunt, sui que iuris fiunt. a)

Equi-

aa) Equis enim adeo in iure civili aut Antiquitatibus Romanis hospes est, quem lateat, seruos in miserrima conditione constitutos, imo pro nullis habitos fuisse *l. 32. ff. de R. I.* Hinc illi domini, aut obligationis capaces non erant, sed quicquid merebant, domino acquirebant; Matrimonium contrahere, patria potestate gaudere, reipublicae causa abesse, iniuria affici non poterant; In illorum contubernio nulla dos aut donatio propter nuptias locum habebat, neque testamenta faciebant, neque ab intestato eis quis succedebat; In perpetuo vitae discrimine versabantur; Res erant mancipi, ac inter eos et pecudes vix quicquam intererat, adeo, ut vxor illa apud Poetam in haec erumperet verba: *O demens, ita seruus homo est?* *IVVEN. Sat. 6. v. 222.* iung. *l. 1. princ. ff. de iur. delib. l. 22. 209. et vlt. ff. de R. I.*

a) Dummodo parentes hos sanguinolentos vel ipsi exposuerint, vel exponi curauerint, vel ad minimum abiectionem ratam habuerint. Si enim proles infans ac invito patre furripiatur, tunc ille retinet ius suum patriae potestatis, et vi huius Interdicto de liberis exhibendis et ducendis uti potest, *l. 1. §. 1. et l. 3. ff. de lib. exhib.* aut actionem furti, *l. 14. §. 13. ff. de furt. quimodo plagii instituit, per tit. ff. et Cod. ad leg. Fab. de Plag.* Interim educatori sumtus restituere debebat, qui in alendo infante, vel forte ad discendum artificium, iuste consumti fuerant; Modo fur et raptor non esset, quippe qui alimentorum pretium amittebant, per *l. 1. C. de inf. expos. iunct. l. 13. ff. de condit. furt.*

Equidem in primis Romanae Reipublicae periodis, Paterfamilias in domo sua princeps fere et regulus erat, in seruos aequae ac liberos ius vitae ac necis habebat, hos tanquam rem suam vi patriae potestatis exponere, b) abdicare, distrahere, in vincula conicere, ac quouis supplicio, si meruissent, de medio tollere poterat. c) Attamen cultioribus Reipublicae temporibus haec patria maiestas, d) ceu statui Monarchico minus congrua, artiores sensim accepit limites: Hinc Constantinus M. ante omnia ius illud vitae ac necis paterfamilias competens, et a Hadriano aliisque Antecessoribus in Imperio variis sanctionibus restrictum, e) in totum sub poena parricidii sustulit, f) ius liberos vendendi, patris pietati parum conueniens, ademerunt Diocletianus et Maximianus. g) Ac cum prudentissimi hi Legislatores optime perspicerent, patriam potestatem in pietate potius, quam in atrocitate consistere debere, h) nullum est dubium, quin infantum expositio, iam ante Constantini M. tempora, vel ad minimum, cum primus hic Christiani nominis Imp. sceptra potitus sit, sanctionibus poenali-

b) Legis Romuli, in qua parentibus sexum sequiorem (exceptis filiabus primogenitis) et omnem partum mutilam et monstruosum exponere permittit, iam in §. 2. mentionem feci, ad quem B. L. remitto.

c) DIONYS. HALIC. l. 2. c. 27. et 28.

d) Sic non immerito absoluta illa patria potestas a VALERIO MAXIMO l. 7. c. 7. §. 5. vocatur.

e) Hac de re testantur l. 5. ff. ad leg. Pomp. de Parricid. l. 11. in fin. ff. de lib. et posthum. her. instit. l. 2. ff. ad leg. Corn. de Sicar. l. ult. ff. si a par. quis manum. sit. l. 3. C. de patr. pot.

f) l. unic. C. de his, qui par. vel lib. occid. iunct. l. ult. Cod. de patr. pot.

g) in l. 1. Cod. de patr. qui fil. suos distrax.

h) l. 5. ff. ad leg. Pomp. de Parricid.

nalibus prohibita fuerit. i) Quia vero res angusta domi virtutibus parentum saepius adeo obstabat, vt urgente extrema necessitate, legem non habente, leges violarent, et paruulos suos aliorum misericordiae exponerent; Pius hic princeps, ad impediendum istud malum, cum periculo vitae infantum multoties coniunctum, egenis his venditionem sanguinolentorum permisit, ita tamen, vt et patri vendenti, et liberis venditis, aut cuilibet alii, ad ingenuitatem eos repetere liceret, pretio aut mancipio alio Domino reddito. k) Quinimo ne Patres familias, summa egestate conflantes, ad hanc venditionem, quasi ad sacram ancoram, confugere, et hominem ingenuum, propriorum viscerum partem, quoad tempus in seruitutem detrudere adigerentur; Optimus princeps aliam postea legem tulit, vt parentes inopes alimenta de publico petere deberent. l) Nunc nullas amplius latebras legum contentores quaerere, aut egestatis nomine inhumanum abiectiois scelus praetexere poterant. Hac de causa Imp. omnes intendebat neruos, quo eorum audaciam frangeret, et hanc peccandi consuetudinem reprimeret. Itaque patres, contra manifestas leges innocentes paruulos abiicientes, et per hoc facinus nomine

ac

- i) De qua re, in cap. 3. f. Disp. nostra altera vberius agendi erit occasio, cum inpraesentiarum de priuatione patriae potestatis nobis saltem sermo sit.
- k) *l. fin. Cod. de patr. qui fil. suos distrax.* Praestabat enim ex duobus malis minimum eligere, et potius liberorum libertatem perdere, quam eorum vitam, cum ad illam, non vero ad hanc, daretur regressus.
- l) *sec. l. i. et 2. Cod. Theod. de aliment. quae inop. parent. e publ. pet. deb. conf. etiam THOMASII disp. de Vsu practico tit. Inst. de patr. potest. §. 46. 47. HEINECCIUS in Antiquit. Rom. l. i. tit. 9. §. 9.*

ac iure parentum se indignos facientes, iure patriae potestatis merito priuabat, eorum liberi derelicti ex patria in dominicam suscipientis potestatem veniebant, et crudeles hi genitores eos nunquam repetere, aut seruitio eximere valebant. Placuit postea haec Antecessorum sanctio Iustiniano, non vero ex assē. Quatenus illa quidem ad parentum poenam et amissionem patriae potestatis spectabat, eam cum sana ratione et iustitia optime conuenientem omnimodo approbat. Siquidem natura patres non fecit, vt Venerem ac voluptatem explerent, sed vt administri naturae et Reipublicae essent, sobolem suam alendo et probis moribus instituendo, secundum verba THOLOSANI. m) Non ergo is nomen patris merebatur, qui prolem suam crudeli, non paterno animo ceu catulum abiiciebat, cum tamen non ipsi tantum, sed et Reipublicae partus nasceretur; n) Indignus erat filio, qui filium se indignum existimabat, et quomodo quis suum dicere poterat, quem pereuntem antea contempserat. o) Quia tamen haec legum dispositio ad innocentes etiam liberos simul pertinebat, et iniustum erat, illos ob delicta parentum poenas dare, et sub seruili iugo premi, ob hanc et alias iam iam supeditatas rationes p) Iustinianus denuo constituit, q) vt expositi omnibus modis, tam a dominica, quam patria potestate, essent liberi atque immunes. Eiusdem etiam

- m) GREGORIVS THOLOSANVS in Syntagm. iur. vniuers. l. II. C. 10. n. 3.
 n) sec. l. 1. §. 15. ff. de Vent. in possess. mitt.
 o) l. 2. Cod. de inf. expos.
 p) quas in §. anteced. 5. perpendi.
 q) scil. in l. 24. Cod. de Episc. Audient. l. 2. 3. et vlt. C. de Inf. expos. et Nou. 153.

D

etiam tenoris est epistola illa decretalis, quam ex Iuris
 Ciuilibus depromptam Papa Gregorius IX. emi-
 sit, edicens: Filium expositum a patre, vel ab alio eo con-
 sentiente, vel ratum habente, eo ipso a patria potestate
 liberatum esse. r) Miror itaque, quomodo in Iuris-
 prudentia haud parum excellentes ICI adhuc dubitare,
 quinimo contrarium defendere possint, infantum expo-
 sitionem non esse modum tollendi patriam potestatem,
 seu, leges ciuiles hoc inhumano scelere contaminatis pa-
 rentibus ius omne non ademisse. Quo magis sua luce
 radiet veritas, dissentientium argumenta praecipua in
 medium proferam, et pro virili paucis ad ea responde-
 re allaborabo. TITIVS et cum eo ZOESIVS senten-
 tiam, quam meam feci, infringere, quantum possunt, stu-
 dent. s) Ex leg. cit. 2. C. de infant. exposi. (inquiunt)
 exacte et sufficienter non probatur, infantes ob expo-
 sitionem parentum ipso iure a patria potestate liberari, et
 verba fin. huius legis non de infantibus expositis, sed de
 seruis derelictis loqui, cum tamen haec lex esset prima-
 ria, in qua fundamentum totius nostrae thesios positum.
 At enim vero l. cit. 2. C. vtique id euincit, quod euin-
 cere debet. Sermo in ea Imp. est de expositis liberis
 pariter ac de seruis derelictis, vtrosque liberos et sui
 iuris esse pronunciant, hoc Epiphonemate addito: *Nec
 suum quis dicere poterit, quem pereuntem contempsit.*
 Nunc haec ratio, tam ad seruos eiectos, quam ad libe-
 ros abiectos spectat, ergo vtrique eadem iuris disposi-
 tione gaudent. Nec quaestionis nostrae cardo in vni-
 ca

r) cap. vnic. X. de Inf. et languid. exposi.

s) TITIVS in Iur. priu. l. 6. C. 10. §. 14. ZOESIVS ad ff. de
 Adopt. n. 20.

ca ista lege solum vertitur, sed et aliis tum a Constantino, tum a Iustiniano ideo promulgatis constitutionibus suffulcitur, ad quas in §. hoc et anteqd. prouocauit. Alii rursus cum CARANZA t) obiectionis suae fundamentum quaerunt in eo, quod in tit. *Inst. quib. mod. ius patr. potest. solu.* haec expositio a Iustiniano inter modos liberandi a patrio iure non referatur. Ast ambabus, vt aiunt, manibus concedo, quod infantum abiectionis, seu causae tollendi patriam potestatem, explicite nulla hic facta sit mentio, implicite tamen adest, nec Imperator eam ideo excludit.

Saeuitia immanis, lenociniumque parentis,

Conditio et merces, damnosaque adoptio pubis, causae sunt tollendi patriam potestatem, et pater inuitus ob illas cogi potest, vt filium emancipet; Altum tamen de his quinque causis in Institutis est silentium, quid itaque mirum, quod Imp. causas, quae ipso iure soluunt ius paternum, (inter quas etiam expositio infantum existit,) silentio praeterierit. Accedit, multa in his primis elementis totius legitimae scientiae v) desiderari, quae omnino ad ea pertinent: x) E contrario, multa abrogata et inutilia in illis reperire licet, quae summo iure omitti potuissent. y) Quo alii suam stabiliant sententiam, ad legem Romuli, in XII. Tabb. postea translatam,

t) CARANZA de *part. nat. et legit. C. 4. n. 38.*

v) Hoc elogium Institutionibus tribuit Imper. in §. 4. *Prooem. Instit.*

x) ex. gr. doctrinae de restitutione in integrum, probatione, documentis, testibus, iuramentis, de dolo, culpa, casu fortuito, iure coniugum, sponsalibus, bonis dotalibus, paraphernalibus etc.

y) ex. gr. materia de Fiduciaria et legitima Patronorum tutela, de tutore, qui ex lege Iulia et Titia dabatur, de successione, quae fiebant per bonorum venditiones, et de Claudio Scto. etc.

latam, confugiunt, et a maiori ad minus ratiocinium
 fruunt: Si parentibus iure communi liberos vendendi
 vel oppignorandi ius competit, sequitur quod multo ma-
 gis eos exponere possint, consequenter eorum abiectio
 potius effectus patriae potestatis, quam causa eam soluen-
 di existit. z) Nego primo argumenti huius Mai. proposi-
 tionis consequentiam; siquidem patresfamilias aa) summa
 inopia conflctantes liberos vendere poterant, eos vero
 ob paupertatem abiicere nunquam illis permissum erat.
 Dein bene distinguenda sunt tempora: Si enim primas
 Romanae Reipublicae periodos respicimus, verum est,
 patresfamilias vi iuris sui liberos distrahere, oppignora-
 re, exponere, quinimo occidere potuisse, uti hoc etiam
 in princ. hui. §. deduxi. At hac de re inpraesentiarum
 non est quaestio: Versamur nempe in eo, an Constanti-
 nus, et post eum Iustinianus, ob inhumanam infantum
 expositionem patribus ius suum ademerint, nec ne? Et
 quilibet, nisi Dauus sit aut Meliboeus, facile perspiciet,
 argumentum hoc vel plane nihil ad rhombum facere,
 vel potius pro mea, quam dissentientium opinione pu-
 gnare, quia ex tit. Cod. de patr. qui fil. distrax. elucescit,
 Diocletianum et Maximianum Imp. patribus hoc ius
 in totum ademisse, Constantinum vero illud parentibus
 egenis tantum ad tempus permisisse. Maiorem veri-
 tatis speciem prae se fert argumentum, quod idem
 GONZALEZ, PHILIPPI, bb) aliique Ddres ex l. 16. Cod.
 de

z) GONZALEZ ad tit. X. de infant. et languid. expos. Tom. V.
 p. 244. in medium profert hoc argumentum, non tamen suum
 facit et defendit.

aa) per. l. 2. Cod. de patr. qui fil. distrax.

bb) GONZALEZ loc. cit. p. 244. PHILIPPI in vsu pract. Instit.
 ad princ. tit. de Nupt. Eclog. 60. n. 5. et quos ibi citat Ddres.

de Nupt. arcessunt, ab effectu ad causam hoc modo concludentes: Inter praecipuos patriae potestatis effectus refertur consensus parentum in liberorum nuptias: Nunc in nuptiis filiae expositae patris exponentis consensus desideratur, per *dict. leg. 16. C.* ergo parentes, liberos exponentes, non amittunt patriam potestatem. Verum enim vero, ut ex hoc etiam Labyrintho euadamus, Ariadneo non opus esse filo arbitror: Loquitur enim *lex cit.* de patre egeno, ob paupertatem filiam exponente. cc) Quemadmodum itaque in omnibus delictis animus delinquentis consideratur, qui maleficia distinguit, dd) et poenam quandoque auget, quandoque mitigat; Sic etiam eiusmodi pater misericordiam potius, quam odium meretur, et patriam potestatem in expositam retinet, qui non ex petulantia et malitia, sed necessitate coactus, filiam exposuit. ee) Dein posito, quod Diocletiano et Maximiano, huius legis authoribus, sermo sit de patre ex leuitate animi et crudelitate filiam abiiciente, obseruandum tamen esse duco, hos legislatores circa finem Seculi III. ante Constantinum M. sceptro imperioque Romano potitos fuisse; Quippe in antecessum ff) luculenter satis demonstraui, ante Constantini tempora inter expositas personas liberas et seruilis conditionis maximum intercessisse discrimen, cum haec in suscipientis potestatem veni-

cc) Hoc etiam verba *fin. leg. alleg.* indicare mihi videntur, dum Imp. referibunt: *In hoc tantummodo casu etc.* nisi hoc Rescriptum plane sit particulare ad Rhodonem solum spectans.

dd) *l. 53. princ. ff. de furi.*

ee) defendunt hanc sententiam CUIACIUS in *comment. ad b. l. 16. C. de Nupt.* PEREZIUS in *Praelect. in Cod. iur. de Inf. expos. §. 3.* alique Iuris interpretes celeberrimi.

ff) scil. in §. 5.

venirent; Liberos autem parens quoquo tempore repetere poterat, solutis educatori alimentis. Sed Constantinus hanc distinctionem tollendo, et expositos quoscunque educatoribus plenissime addicendo, patribus ius suum patrium adimebat, Iustinianus hanc priuationem patriae potestatis denuo confirmabat, et expositos cuiuscunque conditionis ingenuos et sui iuris homines declarabat. Ergo et haec obiectio facile destrui potest, si modo tempora accurate discernamus. Nec scrupulus iste me suspensum detinet, quod Iustinianus hanc Antecessorum suorum constitutionem in Codicem praef. praest. inferendo, suam fecerit et approbauerit. Irrepsit enim et haec cum aliis obsoletis et iam ante Iustinianum mutatis, in Codicem, et res perrara neutiquam est, leges sibi inuicem derogantes, imo contrarias in eo animaduertere. Remotis itaque obiectioibus primariis, reliqua argumenta dissentientium persequi superuacaneum esse duco, praecipue cum ea lubricis nitantur fundamentis. gg) Praestabit potius paululum perulstrare, an hae leges, de priuatione patriae potestatis disponentes, apud nos in Germania adhuc in viridi obseruantia, et liberi, ob expositionem a parentibus factam, patrio iure exempti sint? Re vltro citroque agitata, stetit sententia, infantum abiectioem et hodie causam esse tollendi patriam potestatem; Equidem ingenue

gg) Huius farinae ex. gr. est illud: Si pater generando tam infigne proli beneficium dedit, vt nulla penitus ratione aequari vel superari possit, sequitur, et liberos, quos parentes abiectere, nihil secius adhuc in aere illorum haerere, vt inuitis patribus ab eorum potestate se nunquam liberare possint. Quamuis itaque pater eiusmodi durus sit, pater tamen manet, seu diuinum, quo generatur filius, instrumentum.

genue largior, eam apud nos arctiores habere limites, quam apud Romanos, et varios eius effectus per certas leges patrias mutationem passos fuisse; Minime etiam me fugit, ius Romanum tantum in subsidium, et quantum cum statu Reipublicae nostrae conveniat, receptum esse; Attamen in eorum sententiam adduci nequeo, qui Romanorum patriam potestatem, eiusque modos finiendi, receptos esse, aut usum practicum vllum in foris Germaniae habere, audacter negant. hh) Ab vno enim alteroque effectu cessante, ad omnes et totam abrogationem iuris patriae potestatis solide concludi nequit, et potius pro autoritate iuris ciuillis recepti pronunciat, si de legibus contrariis aperte non constet, nec illud cum statu Reipublicae nostrae pugnet. ii) Vbi vero est illa discrepantia praesentis Germaniae status a praedictis legibus, quae prohibeat, ne effectus paterni iuris, quibus patres adhuc hodie fruuntur, ob sceleratam prolis abiectionem cessent, aut quando haec in iure Ciuili fundata regula in legibus patriis mutationem

hh) Inter illos saltem nomino GIPHANIVM in Comment. ad *Inst. tit. de patr. potest.* et qui primo ponendus fuisse loco, THOMASIVS in disp. de vsu practico *tit. Inst. de patr. potestate c. 2. §. 1. et 14.* sequ. et in disp. de vsu pract. *tit. Inst. qu. mod. ius patr. pot. solu. c. 2. §. 3.* sequ.

ii) TITIVS in iur. priu. l. 6. c. 10. §. 16. it. l. 1. c. 5. §. 26. BERLICH. P. 2. concl. II. n. 4. S'TRYCK. in Vt. Mod. *7. tit. de his, qui sui vel al. iur. sunt §. 3.* sequ. SIMON van LEEVWEN in Cens. forens. l. 1. c. 9. n. 1. sequ. alique celeberrimi ICI illud non solum docent, et ponderosis argumentis deducunt, sed etiam Sereniss. Legislator Saxo in Constit. Elect. 10. P. 2. extra omnem dubitationis aleam posuit et corroborauit, his verbis: Weil in denen Sächsl. Rechten nirgend zu befinden, daß die Väterliche Gewalte insonderheit aufgehoben; So bleibet dieselbe auch nochmahls nicht unbillig bestehen.

nem suam accepit? Nullam profecto vere talem hoc in casu inuenio, nec sufficiens ratio adest, abrogationem harum dispositionum in Germania euincens, ideoque et huc tritum illud quadrat: *Quod receptum et mutatum non est, cur stare prohibetur?* kk) Hinc vel crudelis eiusmodi patris fidei ac potestati infans expositus amplius non committitur, cum semel malus, semper malus praesumatur, ll) vel si ille abiectum recipere iubeatur, commodo percipiendi vsumfructum ex ipsius bonis, reliquisque patriae potestatis facultatibus destitutus, nil praeter nomen et titulum patris adipiscitur.

§. VII.

In dubio pro illegitimis sunt habendi.

Cum verò natorum alii ex honesto et legitimo matrimonio, iusto tempore nascantur, (quos legitimos vocamus,) alii e diuerso extra iustas nuptias procreentur, (qui ideo illegitimi audiunt;) ad quam classē expositi in dubio referendi sint, inquirere ordo nunc postulat. Magnam quidem aequitatis speciem prae se fert eorum opinio, qui hos abiectos pro legitimis agnoscunt, illisque album calculum addere primo intuitu non dubitauit. Ast accuratius perspectiusue re considerata, contraria ceu veritati magis conformis me arridet sententia, eiusmodi infantes illegitimis hodie annumerandos esse. Quo id euincam, ad experientiam, omnium rerum optimam magistrā prouoco. Illa enim abunde nos docet, parentes

kk) l. 27. Cod. de testam. Interim tamen negare nequeo, ideo infantes expositos raro ex patria potestate exire, quia hodie parentes non liberos ex legitimo matrimonio procreatos, sed potius spurios, incestuosos et adulterinos exponunt, qui nunquam in potestate ista fuerunt.

ll) per cap. 8. de R. l. in 6. et arg. l. 7. §. 3. ff. de accus.

rentes rarissime liberos ex legitimo thalamo prouenientes exponere, sed potius puellas innuptas, meretrices, aliasque foeminas prostratae pudicitiae sobolem illegitimam clam abiicere, compertum habemus, quo onus alendi et educandi euitent, turpitudinem et flagitia sua obtegant, et pro virginibus et honestis personis etiam in posterum habeantur. Nunc vero leges a) et sana ratio suadent, in obscuris et dubiis rebus id inspicere, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet; Expositio autem infantis res eiusmodi obscura est, dum pater materque partus inuenti latent; Maior ergo praesumptio in meretricem et foeminam impudicam cadit, eam prolem abiicisse, quam in personam honestam, et in legitimo matrimonio viuentem, quippe quae liberorum procreandorum animo et voto connubia inuit, b) et ob partum in lucem editum erubescere non debet; consequenter infans abiectus pro spurio aestimandus. Illis insuper vulgo conceptorum definitio ex asse respondet, quam Modestinus nobis sistit. c) Patrem enim hi miseri demonstrare nequeunt, aut talem habent, quem habere non licet, (alias enim non expositi fuissent) ergo tales abiecti, aut spurii, aut ad minimum legitimisationis indigunt. Accedit, quod ipsos contrariae sententiae fautores d) confiteri oporteat, expositos istorum officiorum ac dignitatum incapaces esse, vbi ex lege vel statuto sanguinis

a) *l. 114. ff. de R. I. c. 45. de R. I. in 6.*

b) *l. 220. §. 3. ff. de V. S.*

c) *in l. 23. ff. de stat. hom. verbis sequentibus: Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt; vel si possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet.*

d) *GONZALEZ ad tit. X. de Infant. expos. p. 246. CARANZA de part. nat. et legit. l. 4. n. 49. alique DDres, quos citant.*

guinis puritas requiratur. Qualem verò inter legitimos et illegitimos locum intermedium illis assignare et effingere velint, coniectura assequi non valeo. Vfus denique hodiernus, haec, quae dicta sunt, vterius comprobatur. Etenim ad opificia addiscenda expositis absque legitimatione non patet aditus, neque opifices honorifici eos, ceu leuis notae macula notatos, in collegium suum recipiant, ne sibi et Collegio labem attrahant, et iura sua lege quaesita, ac longinquo vsu stabilita infirmant. Hinc a tironibus, ante admissionem ad opificii rudimenta discenda, literas natalitias, ceu publicum legitimae natiuitatis testimonium, exigunt. Si itaque expositi pro legitimis in dubio habendi essent, secundum consuetam formulam, daß sie aus einem keuschen und untadelhafften Ehe-Bette von ehrlichen Eltern erzeuget und geböhren, cur statuta opificii eos consortio collegii honorifici excludunt ac indignos iudicant. Et licet Carolus V. Imp. in communibus Imperii conuentibus, e) aequae ac Serenissimus Legislator Saxo, f) nimias tribuum et collegiorum subtilitates, et concessorum priuilegiorum abusus, circa tironum etiam receptionem saluberrime abrogauerint, ideoque opilionum, linificum, molitorum, telonariorum, tibicinum, balneatorum, tonsorum et tubicinum filios, qui antea patris saltem professionem, vel aliud vile vitae genus, amplecti debebant, ad qualiacunque opificia addiscenda

e) Per *Rec. Imp. de Ann. 1548. tit. von Handwerks-Söhnen, Gesellen* &c. §. Als auch an etlichen Orten &c. quod postea Rudolphus II. Imp. in *Rec. Imp. de Ann. 1577. tit. 38.* repetiit.

f) Et quidem IOHANNES GEORGIVS II. in *Ord. Polit. Sax. de Ann. 1661. tit. 21. §. 4. P. 1. cod. Aug. p. 1585.* qui licitorum, aliorumque ministrorum officialium liberos, germ. *derer Amtss-Frohnen, Stadt- und Landes-Knechte Kinder*, simul comprehendit.

scenda et exercenda admiserint, horumque priuilegiis ac iuribus eos dignos pronunciauerint; Expressis tamen verbis prudentissimi hi Nomothetae ab istis personis requirunt, vt ex honesto matrimonio procreati sint, idque sufficienter probatum dare possint. g) De expositis vero ne verbulum quidem addiderunt, videlicet quia hi legitimae natiuitatis probatione destituti sunt, quinimo ex clandestino et damnato coitu eos susceptos esse, maxima oritur praesumptio, idcirco Legislatores honestis tribubus ac collegiis tales abiectos obtrudere, ac eorum iura imminuere noluerunt. His itaque rationibus accurate consideratis, firmiter in mea permaneo sententia, neque dissentientium multitudinem h) reformido, aut eorum varia argumenta i) me mouent, vt ab illa disce-

- g) Verba illa, quae huc pertinent, in *diēt. Ord. Polit. loc. cit.* ita fluunt: Was derer Leinweber, Barbierer u. Kinder betrifft, dieselben sollen bey allen Handwercken, wenn sie eheliche Geburt darthun können, und sich sonst ehrlich verhalten, unweigerlich auf und angenommen werden.
- h) Praeter GABR. PALAEOTTVM in *tract. de nobis spuriiisque filiis c. 63.* et ad quos suae sententiae fauentes DDres prouocat, addere licet PHIL. PASCHALEM de *viribus patr. pot. P. 1. c. 6. n. 10.* GONZALEZ ad *cap. vn. X. de inf. expos. p. 246.* CARANZAM de *partu c. 4. n. 49.* BRVNEMANN. ad *l. 24. Cod. de Episc. Aud.* BEYERVM ad *Nemes. Carol. art. 132.* CLASSENIVM ad *eund. art.* MENOCHIVM in *quaest. arbitr. c. 306.* THEODORICVM in *Colleg. Crim. c. 7. apb. 7. n. 16.* CARPZOVIVM in *Disp. de infantibus expositis §. 12.*
- i) His vero fundamentis suam confirmare student opinionem Dissidententes: α) In dubio (inquiunt) semper praesumptio in meliorem partem esse debet, et non minus iustius quam tutius est, in re dubia benigniorem interpretationem sequi, *sec. l. 102. §. 1. et l. 56. ff. de R. I.* ergo praesumptio pro partu legitimo militat, cum ille vitio et turpitudine careat. β) Quia meretrices non semper liberos suos exponunt, sed etiam parentes legitimi, et

discederem, qui suffragia hic non numeranda, sed examinanda et ponderanda esse censeo.

§. VIII.

*Privilegiis
miserabilium
personarum
gaudent.*

Non exiguum est illud beneficium, quod Imp. Constantinus M. viduis, pupillis, valetudinariis, pauperibus, aliisque personis miserabilibus concessit, a) vi cuius causas suas, siue actores, siue rei sint, ad supremum principis tribunal trahere possunt, si aduersariorum suorum potentiam exhorrescant; vel si vice versa nolint, a foro suo euocari, et principi exhiberi nequeant. Nec hoc iure expositos defraudandos esse iudico, cum Imp. eos sub aliis fortunae iniuria miserabilibus complectatur. Si enim persona inuenitur, quae iure meritoque miserabilis vocari potest, profecto infans abiectus est: Pauper nascitur, et nihil secum in mundum affert, inops a parentibus omnibus miseriis exponitur, languidus sine viribus iacet, et in miserrimo isto statu constitutus aut mortem, aut aliorum misericordiam expectat. Idcirco nullus dubito, hoc beneficium etiam ad expositos pertinere, eosque iuribus ac privilegiis miserabilium personarum frui.

§. IX.

Si denique mortui inueniantur expositi, vel statim post inuentionem animam exspirent, non deneganda illis

quidem ob maximam egestatem. y) Durum est, quemcumque partum, multo magis legitimum, ob facta parentum illicita ex virorum honestorum consortio eliminare. At cum tot tantaque exempla, ipsa expositorum conditio, et vsus hodiernus meam confirmet thesin, et argumenta haec facile destruant, excusationem mereri arbitror, si breuitatis ergo ad singulas obiectiones responsione superfedeo.

a) in l. vn. C. quand. Imp. int. pupill.

illis est honesta sepultura, quae cuiuslibet alias concedenda, nisi suo delicto se ea indignum reddiderit. Tantum igitur abest, vt hac in re Pontificiorum sententiam nostram faciamus, vel eorum consuetudinem vilo modo approbemus, vt eam potius explodamus, reiiciamus. Quis enim, sacrarum literarum doctrina probe imbutus, sibi unquam persuadebit, Pontificiorum ritum genuina ratione niti, quo in hunc vsque diem consueuerunt, infantes expositos, mortuosque repertos, quos nondum baptizatos opinantur, extra coemeterium, vel in eius peculiari aliquo angulo absque ritibus Christianis sepelire. Nos profecto hunc peruersum morem improbamus, de aeterna salute horum infantum optime speramus, seientes cum Augustino: Non priuationem baptismi, sed eius neglectum et contemptum damnare. Hinc etiam Serenissimus Legislator Saxo, a) adductis in antecessum rationibus commouentibus, idem saluberrime disponit, his verbis: So sollen sie hinfuro die Pfarrer und Kirchen-Diener solche Kinder nicht weniger, als die andern, mit Christlichen Ceremonien, nach jedes Orts Gebrauch, zur Begräbnis begleiten, und bey andern Christen zur Erden bestatigen,

CAP. II.

DE

OFFICIO INVENIENTIVM.

§. I.

Perlustratis his, quae ad ipsos infantes expositos spectant, et quid iura circa eos disponant, paucis adhuc officia inuenientium, tam hominum priuatorum, quam ipsius magistratus considerabimus. Priuatorum

Officia priuatorum personarum circa inuentionem expositorum.

a) in art. gen. 15.

torum officium in eo versatur, vt omni modo eiusmodi abiectis, alieno auxilio indigentibus, subueniant, magistratui celeriter ac sine vlla mora expositionis factum denuncient, aut si propter aëris inclementiam, vel ob infantuli imbecillitatem, vel etiam loci difficultatem mors eius immineat, ipsi interim abiectum suscipiant, foueant, et a limine mortis reuocent. Lumen enim rationis aequae ac reuelationis mortalium cuilibet iniungit, vt proximo in miserimo statu derelicto succurrat, eumque a praesentissimo vitae discrimine, quantum potest, liberet. Quis vero magis auxiliatrices postulat manus? Quis mortis faucibus propior, in lucem edito, omnibus periculis exposito, iacente sine viribus vitaeque subsidiis infante? Praecipue si tygride immaniores eius parentes illum, ceu damnatum fructum, in locum desertum abiecerunt, vt fame et frigore pereat, vel a bestiis in virgultis dilaceretur, vel etiam capsula inclusus suffocetur. Profecto omnem nauare operam debet miserimi istius inuentor, quo nouo huic societatis membro proficit, si alias et socialitatis leges, et Christianae religionis praescripta, qua decet pietate, obseruare velit.

§. II.

An poena civili digni, si haec officia intermittant.

Verum enim vero sunt sane numero haud exigui in Republica, hac in re dictamen rectae rationis pariter ac diuinas leges susque deque habentes, quod praecipue iis in locis obtigisse constat, vbi per legem quandam, aut receptam consuetudinem, priuato cuique inuentori onus expositum alendi iniungitur. Quo facto, inuentores saepius suo non satisfaciunt officio, ita, vt hi paruuli, qui sospites ab illis conseruari potuissent, miserime praematura morte pereant. Quaeritur itaque hic non incongrue: An ideo poena digni sint tales inuentores, cum

cum occidere et ille videatur, qui alterum a morte liberare potest, nec eum liberat? a) Carpzouius *in cir. Disp.* b) longe lateque deducit, quod talis homo non tutus in conscientia esse possit, et in foro poli pro homicida aeque habendus sit, quam parens infantem exponens; Ast in foro soli eum ab omni poena exemptum esse autumat, eam nobis rationem superaddens: Quia haec obligatio ex iure saltem naturali dependet, et illius transgressores respectu delicti iuste et secundum criminis proportionem puniri non possunt. Attamen certus atque persuasus sum, ob negligentiam atque impietatem istum inuentorem etiam magistratui poenas dare posse, qui infantem in loco a conspectu hominum remoto, vel alibi, viuentem ac incolumem adhuc inuenit, sed e leuitate animi, vel crudelitate, vel alia de causa friuola et iniusta illum derelinquit, vt postea mortuus reperiatur. Nonne id idem est, ac si violentas manus in repertum infantem intulisset? Quae cum ita sint, poenam extraordinariam vel multae vel carceris locum habere posse statuo, nec iudici hoc in casu manus ligatas esse perspicio.

§. III.

Quemadmodum vero lege naturali vniuscuiusque *Ad quem onus alendi expositos spectet.* ciuitatis membra ad Reipublicae opem ferendam, eamque in necessitatibus iuuandam sint obstricta; Ea contra eadem lege vi mutuae obligationis tenetur, ciues suos iterum feruare, et inopiam eorum subleuare; Exinde etiam sequitur, eam, si parentes non valent, aut de iis non constat, ad alendos liberos (quoniam et illi iam sunt vera ciui-

a) *sec. c. 6. X. de homicid. volunt. arg. l. 3. §. vi. et l. 6. §. 8. ff. de re milit.*

b) *In Part. Pract. §. 4. et 5.*

ciuitatis membra) esse obligatam. Multo magis itaque expositorum curam suscipere necesse habet. Isti enim non sua culpa ab omni auxilio eorum potissimum, quibus alimentorum cura ante omnia incumberebat, destituti, ob dictas causas a Republica, ut alantur, optimo iure efflagitare possunt. Quoniam vero Respublica non nisi per personas, qui vices eius sustinent, valide agere potest, vnde non immerito quaeritur, cuius sit, nomine ipsius hanc curam gerere? inprimis in nostro S. Rom. Imp. vbi tot provinciae deprehenduntur, quae peculiarium ciuitatum speciem prae se ferunt certissimam. Non conueniunt sane hoc loco legum interpretes, aliis societati in genere, a) aliis ecclesiis, b) aliis magistratui superiorem iurisdictionem habenti, c) aliis principi superioritate territoriali ornato, hoc onus imponentibus. Quum vero de hoc in legibus expressis nihil certi dispositum reperiamus, nec generalis ac notoria loquatur obseruantia, magistratui superiorem iurisdictionem habenti hoc onus alendi incumbere, nisi aliud vel lege vel consuetudine obtineat, d) pro virili paucis demonstrabo: Spectant enim ad magistratum multa commoda ratione meri imperii, ergo

- a) *arg. l. 5. ff. de agn. et alend. lib.* et huic sententiae adimplatur. THESAURVS in *Decis. us.* PEREZL. in *Praelect. ad rit. C. de inf. expos. §. ult.*
- b) ABB. PANORM. in *c. 1. n. 2. 3. de inf. expos.* SVRD. de *Alimentis qu. 81.* CARPZOVIVS contra, hoc neuiquam admittere vult, etiam si in ecclesiae limine expositus reperiat. in *Prax. crim. P. I. qu. 10. n. 26. 27.*
- c) CARPZOVIVS *loc. cit.* MOLLER. in *Semestr. c. 47. n. 7.* BERLICH. *P. 1. concl. 1. n. 14.* TITIVS in *iur. priu. l. 6. c. 9. §. 15.*
- d) Ita si mores hodiernos consulamus, in plurimis locis magistratus oppidanus vel pagus alit infantes in loco suo inuentos. De Frisia idem testatur SANDE *Decis. Fris. Lib. II. Tit. 8. Dec. 14.*

aequali iure ad onera, quae cum iurisdictione ista cohaerent, ferenda deuinctus est, sec. regulam iuris: *Qui sentit commodum et incommodum sentiat, necesse est.* e) Dein expositio infantum est res criminalis, et ab ea alimentatio expositi ortum suum trahit, f) ergo ius vel potius onus alendi expositum ad Magistratum alta iurisdictione gaudentem, spectare mihi videtur.

§. IV.

Nunc demum progredimur ad ipsa officia Magistratus suscipientis, et in quo illa potissimum consistant, paucis indicabimus. Si enim magistratus aliquem expositum sustulit, illi incumbit, ut vitam istius abiectioni, quantum fieri potest, conferuet, illique parentum instar optime prospiciat. Idcirco ante omnia de eius baptismo curam gerat, et si de eo nulla, vel non adeo certa, adfuit scientia, infantem denuo sacrosancto Regenerationis lavacro beate obstrictum se reputet, secundum ea, quae in c. 1. §. 3. tradita sunt. De educatione nec non institutione in optimis literis, sacris imprimis, vel bonis artibus aliis, procedente tempore, sollicitus. Id quod toto die, in hac nostra omnium optime instituta Republica patria, fieri, in omnium expositorum salutem fati superque constat. Hoc rite in animae salutem observato, corpori alimenta necessaria, quae ad victum nempe et amictum pertinent, eiusmodi infanti non denegabit, cum de vento vivere nemo praesumatur, pro habitatione et sustentatione, etiamsi nulla in loco isto sint Brephotrophaea aut orphanotrophea curam habebit. Interim etiam sedulo in sceleris istius authorem et socios impios inquirere non ommittet, cum Reipublicae conductae, delicta non manere impunita. Quae vero poe-

Officium magistratus expositum suscipientis.

F na

e) l. 10. ff. de R. I. f) Vti hoc vberius MOLLER. cit. loc. deducit.

na in magistratum cadat, si hoc onus alendi detrectet, abiectum iterum in alterius territorium exponendo, aut in susceptione ipsa moras necestendo, vel alio modo mortem ac interitum expositi causetur, cum noua haec sit expositio, id ipsum in cap. sequ. de poena exponentium compluribus argumentis demonstrabimus, et ibi quaestionis istius responsonem resoluemus.

§. V.

Conclusio.

Ille tibi L. B. non ignotus cursus animi mei in hac nobilissima atque praestantissima materia, non habet fatis magnum campum, si mecum cumulum iam dictorum cum copia longe vberima eorum, quae Cap. III. sequenti in medium proferenda restant, aequo animo pro tua in me benevolentia conferas, et mecum considerare haud graueris. Quare fatius esse duco, campum longe amplissimum, quem exquisitissima de hac re argumenta, quae iam in promptu sunt, nobis aperuerunt, peculiari dissertationi reseruare, ne haecce, nec altera modum dissertationis excedat, et argumentorum cumulus vnico missu appositus Lectori nauseam moueat, sed paucis contentus reliqua eo gratius expectes, quo certius esse potes, eam; quam reseruauimus de poena exponentium doctrinam, ob diuersissimas Ictorum celeberrimorum sententias se cum duobus hisce capitibus in vnam Diss. complexis non modo aequaturam, sed iam iam pertractatam multo superaturam esse. Interim prioris istius disputationis de infantum expositione solum abrumpo, et hunc ingenii foetum tuo L. B. benevolentiae expono, omnibus, qua possum, precibus contendens, vt aequo animo illum suscipere, fouere, eiusque defectus, pro ea, qua polles, dexteritate, supplere non dedigneris.

SSSS * SSSS





Leipzig, Diss., 1731 A-L

X 241 7843

ULB Halle


3

007 536 038



v. 178





1731, 106

DISSERTATIO
DE EO
QVOD IVSTVM EST
CIRCA
**EXPOSITIONEM
INFANTVM**
QVAM
EX ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
DECRETO
PRO OBTINENDIS
SVPREMIS IN IVRE HONORIBVS
PVBLICAE DISQVISIONI
SVBMITTIT
**M. CAROLVS FRIDERICVS
HEINZIVS.**

LIPSAE D. XV. NOVEMBRIS MDCCLXXXI.

EX OFFICINA LANGENHEMIL.

